JOSEPHO DAL POZOLO

SEMINARII VICETINI RECTORE

ECCLESIAM SUAM ARCHIPRESBYTERALEM MONTURSII

NUNC PRIMUM ADEUNTE

CARMEN

Joannis Facci



VICETIAE MDCCCXXXVII.

TYPIS PICUTTI EDIT.

OPTIME ARCHIPRESBYTER

Proficiscenti Tibi ex hoc Seminario, cui singulari vigilantia, studio, pietate praefuisti plurimos annos, et Ecclesiam Montarsii, cui Pastor datus es, magno cum populi gaudio hodie ingredienti, ut gratulemur aliquo modo, hoc qualecumque carmen exhibemus. Accipe pignus observantiae et laetitiae tuorum, qui Tibi fausta omnia et felicia ominantur.

Die XII. Kal. Jun.

Seminarii Vicetini Praeceptores.

Gloriamur in spe gloriae
filiorum Dei. *Ad Rom.* 5, 2.

CARMEN

Surge, anima, ex imis jam tandem expergita terris:
Major agit spes et majora ad munera ducit,
Spes fidei soror et coeli omnipotentis alumna,
Quae demum everso venit succurrere mundo,
Humanosque adiit coetus. Tum lilia passim
Arridens, roseosque dedit natura colores,
Et valles plausere cavae, campique, lacusque
Quocumque illa pedem movit. Proh gaudia seclis
Quanta tulit! Quantis avertit pectora curis!
Sic hominum moestum blande solata timorem:
Mortales, quicumque fidem numenque secuti,

En ego spes animae et requies paxque unica vestræ:
Per me sidereas dabitur quoque scandere sedes.
Multa tamen subeunda prius. Bella impia terris,
Tartareasque acies late discurrere cerno.
Ne trepidate minis. Vobis ego Numen Olympi
Concilio, et vasto descendens gratia fonte
Defensosque dabit, victoresque inferet astris.
An non pro vobis orantem in funere Iesum
Cernitis, atque pio monstrantem vulnera Patri?
Tantus amor Superis humanam attollere stirpem.
Dixit, et aetherea succendit pectora flamma
Alta petens, hominesque supra mortalia tollit.
Illi oculos extemplo ad coelum et tendere palmas;
Spemque colunt avidi, atque ardenti corde sequuntur.
Quis mihi delicias hominum, quis gaudia recti
Incorrupta animi, pacemque in mente latentem
Explicet, unde etiam laetum jubar emicat ore?
Jamque illis meliora polo sol lumina spargit,
Atque fluunt sine nube dies. Non mille labores,
Non curae, turpisque animos contristat egestas:
Quin et opes alii, fulgentisque omnia tecti
Gaudia subjiciunt pedibus. Jam pandite, montes,

Thebaidum montes, secretos pandite saltus.
Quam juvat in latebris sylvisque silentibus aevum
Ducere, proque polo terrae bona cuncta pacisci!
Quid mala commemorem tenebris accita profundis,
Bellumque, horrificamque famem, turbamque nefandam
Morborum vultus toties stupuisse serenos
Christiadum? Immani fervent a caede tyranni
Immeritam aggressi nequicquam exscindere gentem.
At supero erecti regno vel morte sub ipsa
Heroes gaudent laceri crudeliter artus;
Tendentesque polo flammantia lumina matres
Hortantur caros infanda ad funera natos.
At spes ex alto pulcros mirata triumphos
Exultat, comitesque suos ad proemia ducit.
Quo feror? Unde mihi ante oculos tam clara repente
Lux oritur? Laeto resonant quid sidera cantu?
Cerno animas, lectamque manum super aethera tolli.
Ipsa triumphantes optata in regna catervas
Spes ducit, reseratque domum radiantis Olympi.
Quo mens imprudens tendis? Jam comprime cursum:
Non tibi res miras, immensaque munera coeli
Pandere fas mundo, vulgataque ferre per ora.